Zu der

öffentlichen Prüfung aller Klassen

des

Königl. Progymnasiums

zu

Deutsch-Crone,

am 18ten October 1839,

ladet ergebenst ein

Fr. Heinr. Malkowsky,

Director.

Inhalt: 1. De Agathone, poëta tragico. Vom Herrn Oberlehrer Martini.
2. Schulnachrichten. Vom Director.

Deutsch-Crone,

gedruckt bei W. Schulz.

De Agathone, poëta tragico.

Inter gravissima illa, quibus temporum improbitate affectas esse dolemus litteras graecas, damna non dubium est, quin referri debeant deperditae Agathonis tragoediae, qui, licet Aeschylo et Sophocli atque etiam Euripidi in tragica arte certe longe postponendus sit, adeo nova tamen et ipsi quasi propria tragoedia excelluit, ut famam inter aequales haud mediocrem inde sibi compararet. Itaque, quum partes programmatis scribendi mihi impositae sint, in hoc Agathone satis aptam materiam mihi nactus esse videor, de qua his feriis eo libentius scriberem, quòd non memini, huic sane non ignobili poëtae a quoquam doctorum virorum peculiarem quaestionem obtigisse. Sed priusquam ad illustrandam hujus poëtae, quoad ex paucissimis veterum notitiis fieri possit, vitam adumbrandamque, quam ejus tragoediae habuerint, indolem accedam, errores aliquot, qui de Agathone divulgati sunt, amoveam necesse erit. Quot enim ego recentiorum, qui de litteris graecis scripserunt, libros evolvi, in his duas potissimum diversas de Agathone sententias video prolatas, quum alii in iisque Vossius Agathonem, qui comicus fuerit et qui distinguendus sit ab Agathone, tragoediarum scriptore, putent, alii vero eaque major pars uni Agathoni tragicam simul et comicam poësin vindicent. Quarum sententiarum quum neutra mihi probetur, fortasse a consilio hujus scriptiunculae non alienum sit, primum videre, quid de hac re statuendum sit. Tum de vita Agathonis exponam; deinde de tragoedia ejus disputabo et in fine commentationis adjicientur fragmenta, quae ex tragoediis hujus poëtae ad nostra pervenerunt tempora.

Non fuit Agatho, poëta comicus; qui vero fuit, in sola tragica poësi elaboravit. —

De Agathone, qui comoedias scripserit quique distingui debeat ab Agathone, tragoediarum scriptore, non longum est disserere. Nam si veteres, quorum in hujusmodi rebus consilium peti semper debet, consulimus et, quid illi tradant, examinamus, non quidem infitiandum est, ab iis plures diversos Agathones, qui ad scribendum se contulerunt, commemorari; verumtamen de Agathone, qui solis comoediis condendis operam navarit, apud eos haud fit mentio ulla. In his autem Agathonibus imprimis laudandus est Agatho Samius, cujus libri de rebus Scythicis passim a Plutarcho memorantur. Quum Vossius in libro suo de historicis graecis eos locos Plutarchi, qui ad hunc Agathonem spectant, attulerit, nolo repetendis iis longus esse, et hoc tantum moneo, a Photio in indice eorum scriptorum, quorum dicta apud Stobaeum leguntur, praeter Agathonem poëtam etiam Agathonis historiographi mentionem fieri, quem cum Samio eundem esse mihi quidem compertum habeo. Hujus etiam esse Ponti Periplum, quem citat Scholiastes ad Apollonii Rhodii Argonaut. II. 1015., a verisimilitudine non abhorret. Potest enim fuisse hic Periplus quasi singularis pars ad ejus libros de rebus Scythicis pertinens. cf. Schaeferum ad l. c. Neque minus tribuerim huic Agathoni, quod apud Scholiastam ad Sophoclis Trachin. vers. 639 de mythica origine nominis Pylacae, clarissimi illius et propter antiquitatem venerandissimi Amphictyonum consilii legimus. Scholiastes Sophoclem interpretans haec dicit: „ὅπου συνάγονται οἱ Ἀμφικτύονες εἰς τὴν λεγομένην Πυλαίαν, περὶ ἧς Ἀγάθων φησὶ, Πυλάδην τὸν Στροφίου πρῶτον συστήσασθαι ἐν τῇ Φωκίδι, καθαιρόμενον τὸ ἐπὶ Κλυταιμνήστρᾳ μύσος, καὶ ἀπ' αὐτοῦ τὴν σύνοδον Πυλαίαν φησὶ προσαγορεύεσθαι.“ —

Alius iterum fuit Lucius Agatho Priscius, quem novimus ex celebri inscriptione Bononiensi Aeliae Laeliae Crispidis. De qua inscriptione, quam minus recte de Agathone tragico intellectam esse voluerat Gevartius, velim conferantur quae notavit Perizonius ad Aeliani Var. Hist. libr. II. 21. —

Fuit etiam Agatho Christianus, de quo vide, quae Harlesius ad Fabricii biblioth. graec. sub voce Agatho in notis dixit. —

Quum vero praeter Agathones modo memoratos alium — Agathonem, Socratis aequalem, excipio, quia statim de eo dicturus sum — frustra quaesiveris, non possumus, quin Vossium temere ac praepropere fecisse judicemus, quod, ne uno quidem antiquitatis scriptore testante, Agathonem, poëtam comicum, finxerit. Versum enim jambicum,

„τέχνη τύχην ἔστερξε καὶ τύχη τέχνην“

quem ille, quod ipsi tragico cothurno parum convenire videbatur, effícto suo Agathoni adscribere voluit, ne computaveris, eum omnino characterem, qualis in scribendo Agathoni tragico fuisse tradatur, prae se ferre, jam propterea, quod ab Aristotele, qui praeter Agathonem tragicum non alium hujus nominis scriptorem novit, citetur, non posse ab Agathone, Socratis aequali, abjudicari nemo non videt. Quibus omnibus quum satis superque demonstrasse mihi videar, non fuisse Agathonem, poëtam comicum, jam dicendum erit de Agathone, Socratis aequali, de quo maxime hoc loco disquirendum erit, num

utramque poesin et tragicam et comicam amplexus sit, quo errore implicitum esse imprimis Baylium video, qui in lexico suo historico critico sub voce Agatho prae ceteris huic Agathoni etiam comicam poesin vindicare studuit, testem sibi sumens Scholiastam ad Aristophanis Ran. vers. 84, cujus verba haec sunt: „οὗτος δὲ ὁ Ἀγάθων κωμῳδοποιὸς τοῦ Σωκράτους διδασκάλου, ἀγαθὸς τὸν τρόπον καὶ τὴν τράπεζαν λαμπρός· καί φασιν ὅτι Πλάτωνος συμπόσιον ἐν ἑστιάσει αὐτοῦ γέγραπται, πολλῶν ἅμα φιλοσόφων σὺν αὐτῷ καταχθέντων.“ Talem, qualis praedicatur Scholiastes Aristophanis, qui sententiae suae adhibet auctorem, huic vix est quod opponi possit. Verumtamen in hac re vereor, ne non satis valeat Scholiastae auctoritas. Jam enim si idem Scholiastes errare potuit in Ione Chio, quem pari modo comoedias fecisse contendit, nonne tunc putemus eum errasse etiam in Agathone? At erravit certe. Signa erroris apertiora sunt, quam ut ignorari queant. Nam ne dicam, Scholiastam sibi ipsi quasi repugnare, quum ad Ran. vers. 83 de Agathone dicat οὗτος ὁ τραγικὸς ποιητὴς ἐπὶ μαλακίᾳ διεβάλλετο, addita tamen verba τοῦ Σωκράτους διδασκάλου quemque debent offendere. Quid enim? Num Socrates quemquam comicam artem aut omnino ullum poëseos genus edocuit? Neminem prorsus, quod equidem sciam. Verum ut rem quam brevissime absolvam, neminem fore puto, qui vel obiter Platonis convivium perlegit, qui neget, Scholiastam in conscribenda hac annotatione ante oculos habuisse, quae in fine hujus dialogi leguntur. Aristodemus ibi narrat, Socratem, quum ceteri convivae vino poti obdormivissent, sermonem habuisse cum Agathone et Aristophane, cujus summa fuisset, unius et ejusdem viri esse, comoedias et tragoedias posse facere. Verba Platonis haec sunt: „τὸν οὖν Σωκράτη αὐτοῖς διαλέγεσθαι, καὶ τὰ μὲν ἄλλα ὁ Ἀριστόδημος οὐκ ἔφη μεμνῆσθαι τῶν λόγων· οὔτε γὰρ ἐξ ἀρχῆς παραγενέσθαι ὑπονυστάζειν τε· τὸ μέντοι κεφάλαιον ἔφη, προςαναγκάζειν τὸν Σωκράτη ὁμολογεῖν αὐτοὺς τοῦ αὐτοῦ ἀνδρὸς εἶναι κωμῳδίαν καὶ τραγῳδίαν ἐπίστασθαι ποιεῖν, καὶ τὸν τέχνῃ τραγῳδοποιὸν ὄντα κωμῳδοποιὸν εἶναι. Ταῦτα δὴ ἀναγκαζομένους αὐτοὺς καὶ οὐ σφόδρα ἑπομένους νυστάζειν κ. τ. λ. Cujus loci sententiam quum aut minus recte perspiceret, aut quum errore memoriae apud Platonem, quod non legerat, sese legisse crederet Scholiastes, Agathoni comoediam simul cum tragoedia vindicavit, quod non tantopere mireris, si id animum attenderis, recentioribus adeo temporibus exstitisse, qui, inducti sine dubio illa Scholiastae annotatione, verba τοῦ αὐτοῦ ἀνδρὸς εἶναι κωμῳδίαν καὶ τραγῳδίαν ἐπίστασθαι ποιεῖν in gratiam Agathonis dicta esse statuerent, quasi ille fuisset iste vir, qui utramque artem tractasset. At ridiculum sane est, si quis ea in gratiam alicujus dicta esse contendit, ad quae concedenda is, in cujus gratiam dicuntur, nisi coactus adigi non potest. In ipsa autem ratione, qua Plato Agathonem et Aristophanem Socrati concedentes fecit, firmissimum argumentum positum est, ne dicam Agathonem sed omnino neminem veterum poëtarum scenicorum in utraque poësi elaborasse. Plato enim hoc dicit, Socratem coëgisse eos concedere „προςαναγκάζειν τὸν Σωκράτη ὁμολογεῖν αὐτούς,“ illos vero coactos et non sane volentes concessisse „ταῦτα δὴ ἀναγκαζομένους αὐτοὺς καὶ οὐ σφόδρα ἑπομένους“ . . . Si vero id quaerimus, qui fieri potuerit, ut illi non nisi coacti ad Socratis sententiam accederent, haud aberraveris, si dixeris, quia ipsis haec sententia plane

nova esse et quasi *παράδοξον* quoddam videbatur continere. Nam, etsi haec sententia Socrate et Platone, hominibus illis ad cogitandum acutissimis dignissima atque etiam, si philosophica eam ratione contemplamur, vera est, tamen quae duo primaria dramaticae poëseos genera putantur, tragoedia et comoedia vi sua ac natura tam diversae erant et, sicut omnia fere poësis genera, apud Graecos tam certis limitibus distinebantur, ut ab eodem scriptore utraque tractata sit nunquam. Quibus igitur consideratis manifestum est, hunc Agathonem, qui est idem, qui pridie ejus diei, quo haec in ipsius aedibus disputari finguntur, prima tragoedia vicit, non esse posse poetam comicum. Mimimi momenti est aliud quoddam argumentum, quod, ut demonstretur, Agathonem etiam tetigisse poësin comicam, affertur. Apud Philostratum in vit. Sophist. I. p. 493. haec reperiuntur: *„Ἀγάθων, ὁ τῆς τραγῳδίας ποιητής, ὃν ἡ κωμῳδία σοφόν τε καὶ καλλιεπῆ οἶδε, πολλαχοῦ τῶν ἰαμβείων γοργιάζει.“* Etiam haec verba in commodum suum vertunt, qui Agathonem comicum fuisse dicunt, hunc sensum inferentes, qui elegantiam et sapientiam in comoediis condendis ostendit; est potius, quem sapientem poëtam esse et elegantem comoedia i. e. comici agnoverunt. Hoc tam perspicuum est, ut prorsus nulla demonstratione egeat; verum ut compareat, re vera ita judicasse comicos de Agathone, et unde fluxerint haec Philostrati verba, haud superfluum erit attulisse, quae dicit Aristophanes Thesmoph. vers. 52:

Μέλλει γὰρ ὁ καλλιεπὴς Ἀγάθων κ. τ. λ.

et porro vers. 65. sq.:

ὃς ἕτοιμος σοῦ τοῦτο ποιητοῦ
τοῦ καλλιεποῦς κ. τ. λ.

Ceterum hoc toto loco Thesmophoriaz. vers. 57. ssq., uti non minus ex interjecto mollissimo hymno in Apollinem et Dianam (vers. 107 ssq.), quem omnino ad veritatem expressum esse existimo, licet Aristophanes, licentiae temporum illorum, quae in tragica quoque arte jam multum ab antiqua virtute et simplicitate deflexerant, acerrimus castigator, vitia Agathonis ingenue detegat ejusque in dramatis elaborandis nimis quaesitam et putidam diligentiam lepidissime et justa indignatione perstringat, elegantiam Agathonis possis deprehendere. Etiam Agathonis oratione in Platonis Convivio in laudem Amoris, quamvis non uno nomine vituperanda, probetur, eum elegantem fuisse scriptorem cf. Platonis Sympos. cap. XVIII et XIX. Quam futilia igitur aut potius quam prorsus nulla sint argumenta, quibus comica poesis Agathoni vindicetur, vidimus. Maximo autem argumento, Agathonem non tractasse comoediam, hoc esse debet, quod praeter Scholiastam et, qui eum exscripsit, Suidam (quibus etiam addi potest Xenophon, qui in Symposio III. 32 simpliciter *ποιητήν*, et Zenobius, qui in Proverbiis *αὐλητήν* Agathonem vocat), quod, inquam, praeter hos omnes reliqui, qui de Agathone loquuntur, omnino de ejus arte comica tacent et aut disertis verbis tragicum eum nominant aut de tragoedia disputantes ejus mentionem faciunt. Quod si ipsis veterum testimoniis firmare vellem, vereor ne temere has pagellas augeam; quare hic ipsa

Aristophanis, cujus etiam in hac re summa auctoritas, verba attulisse sufficiet, reliqua vero, ubi reperiantur, innuisse. Apud Aristophanem Thesmophor. vers. 29 et 30 legitur:

„Ἐνταῦθ᾽ Ἀγάθων ὁ κλεινὸς οἰκῶν τυγχάνει
ὁ τραγῳδοποιός." —

Ibidem vers. 94: „Ἀγάθωνα πῶσαι τὸν τραγῳδοδιδάσκαλον."

In Ranis Aristophanis vers. 83 sq. Agatho inter tragicos numeratur. Num versus 1087 ex Nubibus ad Agathonem referendus sit, uti Berglerus et Brunkius voluerunt, dubitaverim, quum haec comoedia primum ante, quam Agatho tragoedias docere inciperet, ageretur et postea, quamquam aliquoties retractata, tamen iterum in scenam producta sit nunquam. Apud Aelianum Var. Hist. XIII. 4; Hesychium voce Ἀγαθώνειον αὔλησιν; Lucianum Rhet. Praecept. cap. 11 tantum tragici Agathonis mentio fit. Atque etiam Aristoteles non silentio praetereundus est, qui non aliter atque de tragoedia disserens Agathonis meminit. cf. de arte poët. cap. X. XVI. XIX. cf. etiam Plutarch. Sympos. III. 1. et Aelian. Var. Hist. XIV. 13. In hac testimoniorum copia, quibus Agathoni tragoedia vindicatur, mirum est, ne unum quidem inveniri, quod sit pro comica Agathonis arte, quum tamen, si utramque ille artem conjunxisset, haec res veteribus certe digna visa fuisset, quae quasi magnum aliquod summis laudibus ornata memoriae daretur. Sed jam nimis multa, ut demonstrem, non posse de Agathonis arte comica cogitari, dixi, quam ut verbum ullum addam. Quare pergam ad alteram scriptionis partem, quae est

De vita Agathonis.

Vita Agathonis densa caligine involuta est; nihil de parentibus, nihil de prima ejus aetate, nihil de reliqua rerum conditione Agathonis novimus; ne de patria quidem ejus satis constat. Tametsi vero nullum pro patria Agathonis exstat veteris scriptoris testimonium, tamen Atheniensem eum fuisse tum id ipsum, quod veteres scriptores patriam ejus silentio transeunt, quasi haec res per se clara sit, tum arcta, quae adalescentulo Agathoni cum Pausania intercedebat, necessitudo (de qua vide Platonis Protagor. pag. 315. D. Aelian. Var. Hist. II. 21) quam aliter vix explicare possis, tum diuturna Agathonis in hac urbe commoratio evincat, quam inde ab Ol. 87. 2., quo anno habitus esse fingitur Platonis Protagoras, prosequi possumus usque ad Ol. 92. 1., quo anno Aristophanis fabula Thesmophoriazusae acta est. Post id tempus, sive quod petulantiam Aristophanis, qui ipsius mores spectatoribus ridendos objiciebat, amplius ferre non poterat, sive quod ab Archelao, liberali illo litterarum artiumque bonarum fautore, invitatus erat, urbe patria relicta cum amatore suo Pausania in Macedoniam demigravisse videtur. Cujus demigrationis significatio est etiam apud Platonem in Convivio pag. 172. C. Agathonem autem atque etiam Euripidem, quem grandaevum propter crebras comicorum in ipsum invectiones patriam reliquisse comperimus, ante actas Aristophanis Thesmophoriazusas Athenis non demigravisse, facile quivis concedet,

qui reputaverit, tum demum veram suam vim ac salem hanc fabulam nancisci potuisse, quum uterque adesset. Sed de patria Agathonis hactenus; vitam h. e., quam diu ille vixerit, quantum fieri possit, accuratius definiamus necesse est. Nemo tamen in hac re velim talia exspectet, quae ab omni parte firmari possint; non enim talia promitto, quum omnino fontes nos deficiant, unde haec haurire queamus. Quae mihi videantur dicam. Extra omnem dubitationem versatur, Agathonem prima tragoedia vicisse Euphemo archonte. cf. Athenaeum lib. V. p. 217. Euphemus autem archon fuit Ol. 90. 4. cf. Corsini fasti attici. Ad hoc, quod pro re certa est, adjungendum est, quod in Aelian. Var. Hist. VIII. 4. legimus. Loquitur hoc loco Aelianus de Euripide, qui potus in convivio, quod Archelaus amicis suis apparaverat, Agathonem quadraginta circiter annos natum, osculasset: „εἶτα, dicit, συγκλιθέντα αὐτῷ Ἀγάθωνα, τὸν τῆς τραγῳδίας ποιητὴν περιλαβὼν κατεφίλει, τεσσαράκοντα ἐτῶν που γεγονότα. Τοῦ δὲ Ἀρχελάου πυθομένου, εἰ καὶ νῦν ἔτι ἐρώμενος αὐτῷ δοκεῖ εἶναι, ἀπεκρίνατο· Ναὶ μὰ Δία, οὐ γὰρ μόνον τὸ ἔαρ τῶν καλῶν κάλλιστον, ἀλλὰ καὶ μετόπωρον. Plutarchus in Amator. pag. 770 rem paulo aliter narrat: τὰ δὲ ὑπὸ Εὐριπίδου ῥηθέντα ἐστὶ κομψά, ἔφη γὰρ Ἀγάθωνα τὸν καλὸν ἤδη γενειῶντα περιβαλλόμενος καὶ κατασπαζόμενος, ὅτι τῶν καλῶν καὶ μετόπωρον καλὸν ἐκδέχεται. Haec non verbotenus explicanda sunt, quamquam, num Agatho unquam barbam habuerit, ambigi possit; Aristophanes sane imberbem eum vocat.

Hinc etiam aliquid profecimus ad definiendum annum Agathonis natalem, qui tamen ad accuratissimum calculum referri nequit, quum non satis constet, quando hoc Archelai convivium celebratum sit. Incidisse vero hoc intra Ol. 92. 1., quod tempus ego, quo Agatho Athenas reliquerit, designavi, et intra Ol. 93. 2, qui annus fatalis est Euripidis, necesse est. Quae quum ita sint, Agathonis natales ponendi erunt circa mediam Ol. 81 et Ol. 82. In posteriorem tamen Olympiadem Agathonis natales incidisse propterea crediderim, quod sic quodammodo cum Platone consentimus, qui in Protagora admodum juvenem (νέον ἔτι μειράκιον) eum descripsit. De tempore, quo Agatho de vita decesserit, difficile est disputare. Locus enim in Aristophanis Ran. vers. 83 sq. tanta ambiguitate laborat, ut quacunque ratione velis interpretari eum possis; et ipse Scholiastes duplicem ad verba „ἐς μακάρων εὐωχίαν“ proposuit interpretationem, haec dicens: „ἢ ὡς περὶ τετελευτηκότος λέγει, ὡσανεὶ περὶ τὰς μακάρων νήσους, ἢ ὅτι Ἀρχελάῳ τῷ βασιλεῖ μέχρι τελευτῆς μετὰ ἄλλων πολλῶν συνῆν ἐν Μακεδονίᾳ· καὶ μακάρων εὐωχίαν ἔφη τὴν ἐν βασιλείοις. Τοῦτο δὲ παρ' ὑπόνοιαν. Si quam postremam dedit interpretationem Scholiastes, accuratius inspicimus, eam nova iterum ambiguitate laborare apparet, quum illud μέχρι τελευτῆς eodem jure ad Agathonis atque ad Archelai mortem referri possit, quamquam mihi quidem compertum est, Scholiastam de morte Agathonis ea verba intellexisse. In hac igitur re, in qua ne veteres quidem quid statuerent habebant, etiam talia, quae quoddammodo saltem probari possint, proferre difficilimum est. Verumtamen etiam haec protulisse juvabit. Primum igitur indagandum erit, cur dicant, eo tempore, quum Aristophanes Ranas fabulam doceret, Agathonem nondum mortem oppetivisse. Propterea, credo, quod hoc tempore

Agatho pleno, ut ita dicam, aetatis flore gavisus sit. Parum enim, dicunt, probabile esse, virum id aetatis, qua tum Agatho fuerit, fato fungi. Hanc vero causam quis vel aliqua ex parte nobis comprobaverit? At in Agathone nostro necquidquam valet; nam si, quanta ipsius fuerit vitae perturbatio et dissolutio, consideramus, si etiam illud, quod Plato in convivio dicit, Agathonem fortissimum fuisse potatorem, respicimus, quid tunc offensionis habet, eam praematura morte abreptum esse? Sed jam mitto haec. Aliam vero causam, cur de morte Agathonis nondum cogitari possit, hanc esse dicunt, quod Agatho in judicio, quod Bacchus de Aeschylo et Euripide apud inferos instituat, non appareat. Gravior quidem haec est causa, nec tamen ea, ex qua certo statuere possis, Agathonem adhuc in vivis fuisse. Aristophanes enim in Ranis quo tetenderit, si ponderamus, apertum est, non hoc ipsius fuisse consilium, ut de omnibus tragicis judicaret, sed ut Aeschylo, de cujus virtute poëtica Athenienses ejus aetatis in gratiam Euripidis immerito detrahebant, justam aestimationem restitueret. Non igitur mirum est, Agathonem omissum esse, idque eo minus, quum Sophoclis vix verbo fiat mentio. Quum ergo argumenta, quibus probetur, Agathonem eo tempore, quum Aristophanis Ranae docerentur, adhuc in vita fuisse, per se adeo infirma sint, ut commode etiam contrarium probent; jam hac de causa speramus, fore ut opprobrium temeritatis evitemus, si priorem Scholiastae interpretationem amplexi Agathonem eo tempore jam decessisse statuerimus. Sed rem etiam vere ita se habere, ex Aristophane l. l. dilucide prodire mihi quidem videtur. Videamus locum integrum. Ran. vers. 71 sq. Aristophanes Bacchum haec loquentem inducit:

„δέομαι ποιητοῦ δεξιοῦ.
οἱ μὲν γὰρ οὐκέτ' εἰσίν· οἱ δ' ὄντες, κακοί.

Deinde vers. 73 sq., quum Hercules quaesivisset, nonne Jophon superesset, Baccho haec tribuuntur:

„τοῦτο γάρ τοι καὶ μόνον
ἔτ' ἐστὶ λοιπὸν ἀγαθόν, εἰ καὶ τοῦτ' ἄρα.
οὐ γὰρ σάφ' οἶδ' οὐδ' αὐτὸ τοῦθ' ὅπως ἔχει."

Hoc si tenemus, Bacchum dicere, opus sibi esse bono poëta; tales enim non amplius esse; qui vero sint, pravos esse; si porro tenemus, Bacchum e posteriorum numero solum Jophontem excepisse; tunc omnino quemque debet offendere, paulo post memorari Agathonem, ita quidem, ut bonus poëta esse praedicetur. „Ἀγάθων δὲ ποῦ 'στιν;" interrogat Hercules vers. 83; respondet Bacchus:

„ἀπολιπών μ' ἀποίχεται,
ἀγαθὸς ποιητὴς καὶ ποθεινὸς τοῖς φίλοις."

Dicet fortasse aliquis, me nimium tribuere voci „ἀγαθός," quippe quae, quum parodia sit ad Agathonis nomen, ironiam contineat et contrarium potius, quam quod ei insit, significet Talia objicienti respondeam, absurdum mihi videri, in altera parte versus ironiam statuere,

2

quum altera pars ea careat; verba enim illa „ποθεινὸς τοῖς φίλοις“ ironiam non continere unusquisque videt. Ne igitur Aristophani absurdum aliquod injungam, hoc potius statuo, Agathonem vita jam caruisse. Sic etiam optime quadrat et aptissimam interpretationem admittit illud „ἐς μακάρων εὐωχίαν.“ Licet enim vocem μάκαρ nude positam de opulentis et qui omnium rerum copia abundant, quod semel in Iliade factum esse memini, aliquando usurpatam inveneris, frequentissimus tamen hujus vocis usus est de diis deque iis, qui sunt in insulis beatorum. Ipsum quoque Scholiastam huic prae altera, quam dedit, interpretationi favere, indicio sunt verba, quae in fine addit „Τοῦτο δὲ παρ᾽ ὑπόνοιαν,“ quae procul omni dubio ad posteriorem interpretationem spectant. Ceterum vehementer dubito, an ullus Atheniensium propter assonantiam vocum μακάρων et Μακεδόνων haec verba de conviviis apud Archelanum regem, ut quidam voluerunt, intellexerit; quod vix credibile est, nisi forte hoc statuere vis, haec verba, ut ita dicam, jam in consuetudinem proverbii abiisse. Quibus perpensis satis tutum me esse arbitratus sum, si a partibus Welkeri et Schlegelii starem, qui, hic in Praelectionibus de arte dramatica et litteris Graecorum et Romanorum pag. 308, ille in libro suo de Trilogia Aeschylea pag. 526, Agathonem jam mortuum esse statuunt ante actam Aristophanis fabulam Ranas, h. e. ante Ol. 93. 3. — Quae quum disputata sint de tempore, quod Agatho vita expleverit; jam dicendum erit de reliqua ejus vita. Quod ad Agathonis educationem attinet, omnibus iis artibus et scientiis, quibus nobilium Atheniensium juvenes erudiri solebant, institutum eum esse verisimile est; nam de nobili ejus genere nequaquam dubitaverim. Maxime autem ea aetate Athenis florebant Sophistae, qui multiplici rerum utilium cognitione, admirabili vi dicendi et novitate orationis omnem Atheniensium juventutem ad se alliciebant. Hos viros etiam Agatho adiit eorumque artes sibi vindicavit, et primis quidem temporibus Prodici videtur praeceptis et institutis usus esse; siquidem recte hoc colligimus ex Platonis Protagora p. 315. D., et non potius Plato Agathonem cum Prodico conversantem exhibuit, ut jam in juvene notaret mollitiam. Prodicus nimirum ut etiam Agatho ob mollitiam infamis erat. Seriore tamen tempore ad Gorgiam magis magisque se applicuit, hujusque viri auctoritas tanta fuit in Agathone, ut eum non inepte Gorgiam tragoediae nominare possis, quod quomodo intellectum voluerim mox dicetur. Prorsus inepta eorum est sententia, qui Agathonem Platonis discipulum facere voluerunt, quippe qui, quum ille prima tragoedia vinceret, vix quatuordecim annos natus esset teste Athenaeo lib. V. p. 217. Socratis vero familiaritate et consuetudine usus est, quod tamen non ita intellexerim, ut ejus discipulus fuerit. Praeterea, ut etiam de externo corporis habitu Agathonis aliquid dicam, eximia eum fuisse corporis pulchritudine et gratia, omnes uno ore consentiunt, quare ad locum Protagorae citatum ablegasse sufficiet. Non igitur miraberis, multos eum habuisse amatores; ex quibus tamen primum locum obtinet Pausanias ex Ceramico, quocum saepe altercatus esse dicitur eo consilio, ut jucundior huic esset in gratiam reditus. cf. Aelian. Var. Hist. II. 21. Atque etiam Euripidi, qui drama Chrysippum, quod

erat ex genere fabularum amatoriarum, in ejus gratiam composuit, in deliciis fuisse traditur Aeliani loco, ita tamen, ut in ambiguo ponatur, verum hoc sit necne. Agathonem fuisse amasium Platonis jam per se ineptum est nec refutationis indiget. De epigrammate enim, quod praeter Diogenem Laertium et Macrobium etiam Gellius Noct. att. XIX. 11. servavit, vehementer dubito, an Platonis sit. — Moribus erat Agatho mollissimis et effeminatis, vitamque degebat prorsus dissolutam et delicatam. Ab hac parte satis superque novimus Agathonem quum ex aliis tum maxime ex Aristophane, qui in Thesmophor. lepidissime et acerbissime propter mores vitamque dissolutam in ipsum invehitur. Inducit ille Agathonem plane muliebriter se gerentem, muliebri vestitu indutum omnibusque luxuriae et mollitiae instrumentis instructum. Taedet singulos versus recensere, quibus Agatho propter perversam suam vitam carpitur, quare in universum haec fabula inde a versu 92 ad 270 usque conferatur monitum esse velim. Ex Aristophane, credo, etiam fluxerunt amara illa verba Luciani in Rhet. Praecept. cap. 11, qui cum Sardanapalo et Cinyra Agathonem comparat. Quamquam vero his magnis vitiis laborabat Agatho, tamen negari non potest, eum fuisse hominem amoenissimo ingenii cultu et mira comitate, quae non solum in conversatione cum amicis apparet, sed etiam in eo, qualem se praestitit in servos suos, qui ne dicam tolerabili sed adeo libera conditione apud ipsum videntur gavisi esse. cf. Plat. Sympos. pag. 175 B. Aristophanes Ran. vers. 84 eum praedicat esse ποθεινὸν τοῖς φίλοις, quod unicum epitheton, etiamsi non nossemus ejus comitatem et amoenissimam animi indolem ex Platonis Convivio, jam satis hanc Agathonis virtutem declararet. Cum hac virtute congruit ipsius liberalitas, quae maxime cernitur in conviviis, quae lautissima fuisse praedicat Scholiasta Aristophanis. Quod praeterea ad vitam hujus poetae attinet, hoc accepimus, ipsum suorum dramatum primas partes egisse, id quod etiam reliqui facere solebant. cf. Suidas voce Μύρμηξ et Platonis Symp. pag. 194. B. Haec habui, quae de vita Agathonis disputarem. —

Reliquum est, ut de tragoedia Agathonis exponam et fragmenta adjiciam. Quum vero programmati nostro angusti fines constituti sint, jam nunc scribendi finem facere et quae disputanda relinquuntur in proximum tempus differre cogor.

Scribebam Valcii Mense Augusto MDCCCXXXIX.

C. B. Martini.

Die öffentliche Prüfung aller Klassen des Königl. Progymnasii wird in folgender Ordnung geschehen:

Freitag den 18. October,

Morgens von 8—12 Uhr.

	Gesang.	
8 — 8¾.	Rechnen in V.	Mader.
8¾ — 9½.	Latein in IV.	Zanke.
9½ — 10.	Latein in I.	Director.
	Declamationen.	
10¾ — 11½.	Französisch in II.	Zanke.
11½ — 12.	Griechisch in II.	Martini.
	Declamation.	

Nachmittags von 2—5 Uhr.

2 — 2¾.	Mathematik in I.	Zanke.
2¾ — 3¼.	Griechisch in III.	Dr. Laws.
3¼ — 4.	Geschichte in I. u. II.	Martini.
4 — 4½.	Griechisch in I.	Director.
4½ — 5.	Naturgeschichte in IV. u. V.	Mader.
	Rede des Primaners Wilhelm Gust über die Bedeutung des 18. October für den deutschen und besonders preußischen Jüngling.	
	Gesang.	